



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Atheniensi Et Thebano Archiepiscopis, & Episcopo Castoriensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

sustentandis. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus dictos Hospitalarios & Thebanos ut ab ipsius Archiepiscopi super iis indebito gravamine conquiescant moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Alioquin ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota mediante justitia compellere procuretis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Ferentini v. Idus Octobr. &c. ut supra.

ATHENIENSI ET THEBANO
Archiepiscopi, & Episcopo Castoriensi.

*Epist. 154.
Scribitur pro
plero de Larise.*

Cum dilectus filius nobilis vir Guilelmus de Larise diocesis Larissensis regulam evangelicam excedere sine animæ detrimento non possit, quæ Cæsari quæ sunt Cæsaris & quæ Dei sunt præcipit Deo reddi, eidem nobili per scripta nostra dedimus in mandatis ut Abbates & abbatias, Presbyteros etiam & viros ecclesiasticos de Larise molestare de cetero, sicut fecisse dicitur hætenus, non præsumat, sed debito sibi censu contentus, quem reddidisse dicuntur, in plena permittat eos quiete ac libertate manere. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus si præfatus nobilis mandatum apostolicum non curaverit adimplere, vos eum ad id per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione postposita compellatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Ferentini iv. Non. Octobr. pontificatus nostri anno undecimo.

Scriptum est eidem nobili super hoc.

LARISSIENSI ARCHIEPISCOPO.

*Epist. 155.
Vt ritum Lati-
norum obser-
vet in conse-
crationibus.*

Super Episcoporum consecrationibus & Abbatum ac monialium Græcorum benedictionibus, de quibus à nobis certificari petisti, hoc tuæ fraternitati duximus respondendum, ut quos consecratos vel benedictos inveneris, in suo statu dimittas, eis autem qui consecrandi vel benedicendi fuerint consecrationis & benedictionis munus secundum ritum Latinorum impendas, monachibus & monachis normam vitæ secundum regulam approbatam quam professi fuerint injungendo. Datum Ferentini iv. Non. Octobr. &c. ut supra.



ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI
& dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prelatis per regnum Franciæ constitutis.

Cum pro Ecclesiæ libertate pugnantibus Ecclesiæ deceant patrocinio confoveri, auctoritate apostolica constituimus ut dilecti filij ad obsequium Christi signati contra Provinciales hæreticos vel signandi, ex quo vivificæ crucis signum ad expugnandum ipsos hæreticos secundum ordinationem Legatorum nostrorum in pectoribus suis susceperint, tam cum personis quàm terris, possessionibus & hominibus, necnon & ceteris bonis suis sub apostolicæ sedis & nostræ protectione consistant, & donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur, ea omnia in suo statu libera permaneant & quieta. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus si quis vestrarum diocesum prædicta bona ipsorum interim perturbare tentaverit, cum à procuratoribus, officialibus, vel nuntiis eorum fueritis requisiti, injuriatores seu perturbatores eorum per censuram canonicam appellatione postposita comescatis. Datum Ferentini v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

*Epist. 156.
Crucis signum
suscipiunt
sub protectione
apostolicæ
sedis.*

VNIVERSIS CLERICIS AD
obsequium Christi signatis contra Provinciales hæreticos vel signandis.

Cum orthodoxæ fidei zelo succensitatem decreveritis proficisci, presentium vobis auctoritate concedimus quatinus redditus vestros pro pietatis hujus opere adimplendo liceat vobis pignori per biennium obligare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. usque contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. usque incursum. Datum Ferentini viii. Idus Octobr. pontificatus nostri anno undecimo.

*Epist. 157.
De eadem.*

ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI
& dilectis filiis aliis Ecclesiarum Prelatis in regno Franciæ constitutis.

Vt contra crudelissimos hostes suos Ecclesia sancta Dei terribilis quasi castrorum acies ordinata procedat ad exterminandum pravitatis hæreticæ sectatores, quæ serpens ut cancer Provinciam penè totam infecit, præsidia militiæ Christianæ de circumpositis regionibus duxi-

*Epist. 158.
De eadem.*